



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

III. Miles Marianus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

juriam est. Hoc ipsum, quod ita infuscatam cutem livor infecit, dies longus extenuat. Nivea plerunque membra sole fuscantur, & corpori pallor excedit: quamvis naturaliter fuscis artus umbra cogit albescere. Tantum tempori licet: quantum putas licere naturæ?

## III.

*Miles Marianus.*

Miles Marii adolescens propinquum Marii tribunum vim sibi inferentem peremit. Reus est cædis C D.

## PRO MILITE.

**P**ropinquus, inquit, imperatoris occisus est: maeste virtute adolescens, & Marium vindicasti. Ubicunque periclitatur pudicitia, suam legem habet. Quid agis tribune? tibi nondum vir est, <sup>1</sup> qui Mario miles est? Non longe ab eo est miles, ut promittat stuprum, qui rogatus tantummodo negat. Crede, imperator, male de te judicasset miles tuus, si tribuno pepercisset. Hanc vim Virginius parricidio fugit: propter hanc Lucretia pectus suum ferro fodit. Pudet me imperator. Fœminæ exemplis militem tueor. Stuprum minatus est militi tuo? minus est, quod nobis Cimbri minantur.

## PARS ALTERA.

Miles tuus, imperator, jam aliquid impudici habet, quod ad impudicitiam placet. Tu gladium commilitonis tui cruore tinxisti, quem satis fuit <sup>2</sup> minari.

## IV.

*Parricida carcerem petens.*

DAMNATUS PARRICIDII ANNO CUSTODIATUR. Qui sub noverca damnatus est, vult illum pater domi custodire: ille petit, ut publico carcere fervetur.

## PRO PARRICIDA.

**J**ubete quamprimum ad illas impiorum tenebras trahi: liceat impetrare, quod non licet <sup>3</sup> recusare. Ego me unquam

<sup>1</sup> Qui Mario miles est.] Al. qui Mario jam miles est. Idem.

<sup>2</sup> Minari.] Vet. mirari. Idem.

<sup>3</sup> Recusare.] Vet. excusare. Idem.